

Relinquitur ergo ex his omnibus poenitentiam esse virtutem specialem habentem speciale motivum (cf. Catechismus Romanum De Poenitentia n. 7.). Nota autem non dici poenitentiam virtutem specialem, quia non habeat motivum universale, habet enim; sed quia illud habet in linea iustitiae tantum.

IV. Quaeres utrum idem habitus, cum adest, possit elicere actum detestationis peccati, tum intentionis expiandi illud? Respondeo affirmative cum Suarez et aliis contra Pallavicinum l. sup. cit., si detestatio peccati sit ex eo motivo quod peccatum est laesio divini iuris; uterque enim actus idem habet formale motivum et est actus iustitiae: formale enim obiectum detestationis iuris laesi, est ius idem dilectum, et formale obiectum intentionis compensandi violationem iuris est pariter idem ius dilectum. Vellet Pallavicinus solam intentionem compensandi esse actum elicitem poenitentiae, ceteros esse actus imperatos; sed concipere non possumus virtutem poenitentiae, cuius non sit actus detestatio peccati, est enim actus essentialis et praecipuus poenitentiae.

Non est ergo necesse ita interpretari s. Thomam, ac si docuerit in testimoniis supra recitatis solam intentionem expiandi peccatum esse actum elicitem poenitentiae. Dictio enim exclusiva vel aliquid aequivalens non occurrit. Deinde ratio cur mentionem discrete faciat intentionis delendi peccatum haec esse potest, quia in hac quaestione agit s. Doctor de virtute poenitentiae, quae sit ex se sufficiens ad iustificationem, ideo que cum actu caritatis coniuncta; cum ergo caritas possit iam ex nobiliore motivo detestari peccatum, actus poenitentiae proprius sola est intentio compensandi, et idcirco ipse solus discrete memoratur. Quapropter nec opus est eam sententiam admittere, quam postremo loco superius recensuimus.

Quaeres autem quinam sit praecipuus specialis poenitentiae actus, detestatio ne peccati, an intentio expiandi illud? Respondeo: si spectetur id quod poenitens exhibere debet ut expiet peccatum Deumque placet, praecipuus actus est detestatio et dolor. Si vero spectetur id quod est ratio determinans cur hic actus sit specialis actus poenitentiae, illud est intentio expiandi. Quomodo cum quis alteri restituere pecuniam tenetur, si consideretur id, quod dandum est, praecipuus actus est datio pecuniae: si vero consideretur id quod est ratio cur ille actus sit actus iustitiae, id est voluntas restituendi et compensandi.

V. Dices: impenitentia non est speciale peccatum iuxta s. Thomam in II. D. XLIII. q. 1. a. 3. ad 3<sup>m</sup>, sed circumstantia aliorum peccatorum; ergo et poenitentia non est specialis virtus.

Respondeo: doctrina s. Thomae ibidem haec est: « impenitentia

secundum quod dicit propositum non poenitendi, est species peccati in Spiritum S. . . , secundum autem quod dicit permanentiam in peccato usque ad mortem, negando peccati poenitentiam, sic est accidens vel circumstantia aliorum peccatorum ». Porro poenitentia, prout est specialis virtus, est propositum seu intentio abolendi peccatum et compensandi: ex quo confirmatur doctrina tradita. Legendus pro omnibus dictis in hac Thesi s. Thomas in IV. D. XIV, q. 1. a. 1.

**Corollarium I.** Huius specialis virtutis poenitentiae actus potest quidem imperari a caritate, non vero elici: quia motivum turpitudinis iniuriae et voluntas compensandi sunt motivum et actus, qui formaliter ad virtutem iustitiae pertinent. Itaque si agatur de sola displicentia peccati, hic actus potest esse a caritate, et quidem non ab ipsa sola, sed et ab aliis virtutibus, neque s. Thomas docuit *solam* caritatem id posse; cur enim non poterit esse actus religionis, et aliarum virtutum, quas diximus in praecedente Thesi? Si autem in poenitente sit intentio expiandi et delendi peccatum praeteritum, hic est actus iustitiae specialis, ipsaque detestatio peccati sub hoc motivo elicita ad iustitiam pertinet; dolet enim voluntatem peccasse, quia peccatum est laesio divini iuris.

**Coroll. II.** Cum poenitentia exercetur propter alia motiva, exhibetur quidem in actu exercito compensatio aliqua Deo pro peccato, sed cum exercetur poenitentia virtus specialis, id directe intenditur. Sicut cum lex superioris servatur, exercetur id quod ad obedientiam spectat, sed haec observatio tunc est obedientia propria, cum intendit animus parere superiori. Sicut vero haec specialis intentio obediendi non est necessaria ut servetur praeceptum legislatoris, ita neque ad eam specialem intentionem obligatur poenitens.

## THESIS VI.

(a. 4.)

*Obiectum materiale poenitentiae, prout est actus fugae, est primo quodvis peccatum a poenitente commissum, et ex consequenti id, quod in futuro ipse committere potest; non vero peccatum alienum et originale. Prout vero poenitentia est actus prosecutionis in emendationem offensae, obiectum eius materiale sunt ea omnia, quae a poenitente assumi possunt in compensationem iniuriae. Subiectum autem proprium poenitentiae est voluntas.*

I. Obiectum materiale virtutis est id, circa quod virtus ratione sui motivi versatur. Actus poenitentiae, ut iam indicavimus, duplex distingui potest, actus fugae seu aversionis, quo ab iniuria divina poe-

nitens abhorret, et actus prosecutionis, quo honorem Dei servare vult et honorem laesum intendit expiare atque delere peccatum sive mortale sive veniale; utrumque enim est iniuria in Deum. Et quidem quoad peccatum commissum nulla esse potest ex dictis difficultas. Sed dicimus etiam peccatum, quod a poenitente committi in futuro potest, non quidem primario, sed ex consequenti spectare ad eius obiectum materiale. Per se enim et primario obiectum poenitentiae est id, quod detestamur et quod volumus expiare: haec enim formaliter est poenitentia. Quia vero in detestatione peccati a nobis commissi displicet hoc quod est nos committere peccatum, seu offensa Dei a nobis procedens, hinc, cum serio dolemus, iam virtualiter saltem adest in nobis propositum cavendi a peccatis in posterum, quod si non consequeretur, foret evidens indicium non antecessisse verum dolorem. « Actus eius (poenitentiae) proprius et principalis scilicet contritio, secundum suam speciem respicit tantum peccatum praeteritum, sed ex consequenti respicit peccatum futurum » (s. Thom. in IV. D. XVI. a. 2). Iam vero obiectum huius propositi sunt peccata omnia quae committi possent a poenitente, quaeque non vult committere: ergo.

Reatus vero poenae non videtur esse obiectum fugae virtutis poenitentiae; quia poenitens refugit quidem ab eo, quod Deo displicet, non vero a poena, quae displicet sibi. Cf. Lugum D. IV in fine.

Negamus autem peccatum originale et alienum esse obiectum materiale poenitentiae. Nam quamvis peccata haec displicere nobis possint et debeant, non possumus tamen circa ea exercere actum poenitentiae. Sane 1) actus praecipuus poenitentis, sine quo poenitentia non est, est contritio; atqui contritio nequit exerceri nisi circa peccata ab eodem poenitente commissa: est enim contritio (Sess. XIV) *dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero*. In qua definitione subiectum peccati commissi est idem ac illud quod de cetero proponit non peccare: atqui hic est tantum poenitens. Et re quidem vera circa peccata aliena non potest exerceri propositum saltem efficax, quod est actus necessarius poenitentiae. 2) Poenitentia est *μετάνοια* resipiscentia; at non possumus resipiscere a peccatis alienis. 3) Ita s. Thomas in III. D. XVII. q. 2.<sup>a</sup> a. 2. « Ad quintam quaestionem dicendum, quod illud idem conteritur, quod prius durum et integrum fuit. Unde patet quod contritio pro peccato sit in eodem, in quo duritia peccati praecessit: et sic de alienis peccatis non est contritio ». Quocirca ait ibid. ad 2.<sup>a</sup> q. 1. « quia peccatum originale nostra voluntate non est inductum, sed ex vitatae naturae origine contractum, ideo de ipso non potest esse contritio ». Idem s. Doctor in eadem quaestiuncula concedit quod

etsi de peccato originali non possit esse contritio proprie loquendo, potest tamen esse displicentia vel dolor. Eodem autem pacto accipiendus est Augustinus, cum dicit corripiendum esse hominem propter peccatum originale quoque (de Corrupt. et Grat. c. 6.), correptione scilicet reprobationis, qua malum ostenditur, non reprehensionis, qua voluntas peccans convenitur: non enim voluntate nostra admissum est illud peccatum, voluntate inquam personae eiusdem, quae reprehenderetur. Itaque circa peccatum originale nequit poenitentia exerceri, poenitentia enim est actus personae; peccatum vero originale est actus alienae personae, h. e. Adami. Quapropter adultus baptizandus non tenetur de peccato originali poenitere.

II. Cum id, quod intendit poenitentia, sit compensatio, obiectum eius materiale, prout est actus prosecutionis, erit quilibet actus, quo compensationem aliquam Deo offerre possumus. Quare cum quivis actus virtutis assumi possit in hunc finem, circa eos omnes tanquam materiale obiectum versari poterit poenitentia. Nimirum poenitentia eos actus poterit imperare; quo posito si spectes hoc totum quod coalescit ex actu imperante et imperato, cum in eo actus imperans se habeat tanquam pars formalis, imperatus ut materialis, et a forma sit esse totius, actus illi imperati virtutum dicentur actus poenitentiae: quia vero singuli suam essentiam retinent, erunt formaliter actus huius vel illius virtutis.

Quia quilibet actus virtutis assumi potest ad compensationem Deo exhibendam pro peccato, etiam actus caritatis et martyrii, hinc quilibet actus virtutis potest imperari a poenitentia. Quamvis vero actus satisfactionis pro poena debeant esse, ut suo loco probabimus, aliquo modo poenales, id non videtur per se necessarium pro quovis actu compensationis, qua honorem laesum reparas; nam et inter homines compensatio personae offensae exhiberi potest per actus, in quibus ratio poenalitatis non consideratur.

III. Voluntatem esse subiectum poenitentiae sive poenitentiam esse in voluntate, iam in primo articulo supposuerat s. Doctor veluti per se notum; non enim nisi voluntas potest detestari peccatum et velle illud abolere ac expiare. Sed quia plures sunt actus poenitentiae, ex quibus non pauci ad alias facultates immediate pertinent, hinc quaerit s. Thomas utrum *proprie* voluntas sit subiectum poenitentiae, nempe utrum poenitentia ex aequo in pluribus potentiis reperitur, an primo et per se in aliqua facultate, et utrum haec facultas sit voluntas.

Adverte quod actus poenitentiae distinguuntur et in eos, qui a voluntate poenitente eliciuntur, et in eos qui eliciuntur tum a voluntate tum ab aliis facultatibus, assumuntur tamen a voluntate ad

finem poenitentiae. Actus priores sunt intentio delendi offensam, odium peccati, eiusdem detestatio, dolor seu tristitia spiritualis, propositum non peccandi. Differt actus intentionis ab odio et detestatione; quia ea est per modum prosecutionis, haec sunt per modum aversionis et fugae, prior immediate tendit ad resarciendam divinam iustitiam, alia immediate tendunt in ipsum peccatum. Sunt actus tamen nexi inter se, unusque alterum virtute continet, unusque ab altero oriri potest et vicissim.

Differt odium a detestatione, quatenus odium per se est aversio simplex animi a malo sive reali sive tantum possibili; detestatio est aversio animi a malo commisso vel praesenti vel praeterito quod fuisse nollemus.

Differt detestatio a tristitia, sive melius, differt detestatio sola a detestatione cum tristitia seu detestatione tristis animi; quia ea potest esse in beatis, qui peccata, quae forte admiserint, detestantur, haec in iisdem esse nequit, quia ratione status beatitudinis non possunt subesse tristitiae ulli. Sane omnis tristitia est de malo praesenti vel de malo quod potest concipi ut praesens nobis: iam vero nedum peccatores, sed et iusti quoque possunt in hac vita concipere sibi praesentia peccata, quae admiserint, quatenus certa non est ipsis omnino remissio eorum et cum Deo reconciliatio, ac effectus peccatorum experiuntur. Haec vero locum non habent in beatis; unde in iis desinit ratio tristitiae.

Nota tristitiam esse quidem de re, quam esse nollemus: sed ipsa non est per se res quam esse nolimus: libere enim elici potest actus tristitiae praesertim is qui in voluntate est.

Actus poenitentiae, qui ab aliis facultatibus vel ab ipsa voluntate eliciuntur, et assumuntur ad finem poenitentiae, sunt generatim ii omnes, qui huic fini inservire possunt, quibus potest aboleri offensa praesens et futura caveri, Deoque compensatio aliqua pro peccato exhiberi. Hinc actus interiores fidei, spei, caritatis, religionis, actus temperantiae, fortitudinis et actus exteriores confessionis peccati et actiones poenales actus poenitentiae esse possunt. Non quidem hoc sensu, quod omnis actus huiusmodi, qui in individuo ab homine fit, possit esse actus assumptus a voluntate poenitente ad finem poenitentiae; aliqui enim actus in individuo poenitentiam praecedunt ut fides et spes, aliqui potest esse ipse actus poenitentis voluntatis, ut caritatis actus, cum detestatio peccati est ex amore Dei; sed hoc sensu quod possunt actus harum virtutum in genere spectati assumi ad finem poenitentiae.

Discrimen inter priores actus et posteriores est, quod ii per se ad poenitentiam spectent, iique cum adsunt constituant hominem

formaliter poenitentem; isti vero ratione priorum ad poenitentiam pertineant et denominent hominem poenitentem.

Hinc sequitur poenitentiam non esse virtutem, quae *ex aequo* spectet ad omnes facultates, quae aliquos actus poenitentiae eliciunt; neque enim quaevis facultas potest aut omnes actus poenitentiae elicere aut saltem elicere eos, quibus homo formaliter constituitur poenitens. Hoc alterum potest sola voluntas. Ergo poenitentia formaliter est in voluntate. In ceteris vero facultatibus eatenus est quatenus eae facultates subsunt imperio voluntatis, earumque actus possunt a voluntate poenitente ordinari ad finem poenitentiae. Igitur in aliis facultatibus poenitentia est extrinsece et imperative. Porro subiectum primo et per se virtutis est ea facultas, quae actus proprios eiusdem elicit, quibus nempe homo formaliter constituitur in actu illius virtutis, haec autem pro poenitentia est sola voluntas: ergo.

Scholion. Quoniam habitus poenitentiae, quae est specialis virtus, infundi a Deo potest (a. 5); quidam quaestionem faciunt utrum hic habitus poenitentiae infusus maneat post peccatum, quod postea admittatur, sicut manet fides et spes. Si quaestio sit de poenitentia, quae perfecta dicitur eo quod est informata caritate, manifestum est eam non manere. Si autem quaestio fiat de habitu poenitentiae, quae sit virtus specialis, quaeque esse potest sine caritate, dubitare licet an ille habitus consistens cum gratia maneat, amissa gratia. Ait Toletus quaestionem hanc eandem esse ac istam: *an poenitentia sit virtus infusa an acquisita per proprios hominis actus*. Si enim est virtus infusa, ea per unum actum ipsi directe oppositum amittitur, sicut fides, spes, caritas. Iam vero quodlibet peccatum mortale directe opponitur voluntati servandi iuris divini: si ergo haec voluntas est poenitentia, vel eius essenziale elementum (cf. Th. praec.) virtus poenitentiae infusa quolibet peccato mortali amitti dicenda erit.